

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentius,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope
innumerabilibus|| emendatus.||**

Terentius Afer, Publius

Venetiis, 1558 [erschieden] 1559

Scena I.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

Date operam, & cum silentio animaduortite.
 Ut pernoscatis quid sibi Eunuchus uelit.

ACTVS PRIMI SCENA I.

PHAEDRIA, PARMENO.

Ph. Vid igitur faciam? non eam? ne nunc quis
 dem,
 q Cum accersor ultro? an potius ita me compa-
 rem,

Non perpeti meretricum contumelias?

Exclufit, reuocat. redeam? non, si me obsecret.

Pa. Siquidem hercle possis, nil prius, neque fortius:

Verum si incipies, neque perficies nauiter:

Atque ubi pati non poteris, cum nemo expetet,

Infecta pace, ultro ad eam uenies, indicans

Te amare, & ferre non posse: actum est, ilicet,

Peristi: eludet, ubi te uictum senserit.

Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogi-
 ta,

Here. quæ res in se neque consilium, neque modum

Habet ullum, eam consilio regere non potes.

In amore hæc omnia insunt uitia, iniuriæ,

Susceptiones, inimicitia, induciæ,

Bellum, pax rursus. incerta hæc si tu postules

Ratione certa facere, nihilo plus agas,

Quàm si des operam, ut cum ratione insanias.

Et quod nunc tute tecum iratus cogitas:

D 4

Ego ne

E V N V C H V S

Ego ne illā? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modo?
Mori me malim: sentiet qui uir siem:

Hæc uerba mehercule una falsa lacrumula,
Quam oculos terendo misere, uix ui expresserit,

Restinguet: & te ultro accusabis, & ei dabis
Ultro supplicium. PH. indignum facinus. nunc ego &
illam scelestam esse, & me miserum sentio:

Et tædet: & amore ardeo: & prudens, sciens,
Viuus, uidensq; pereo: nec, quid agam, scio.

Pa. Quid agas? nisi ut te redimas captum quàm queas

Minimo: si nequeas paululo, at quanti queas:

Et ne te afflictes. PH. ita ne suades? PA. si sapis:

Neque, præterquam quas ipse amor molestias

Habet, addas; & illas, quas habet, recte feras.

Sed ipsa egreditur nostri fundi calamitas:

Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

ACTVS PRIMI SCENA II.

THAIS, PHAEDRIA,

P A R M E N O.

T. Miseram me, uereor ne illud grauius Phædria
m Tulerit; ne ue aliorsum, atque ego feci, ac
ceperit,

Quòd heri intronissus non est. PH. totus Parmeno

Tremo horreoq; postquam aspexi hanc. PA. bono anis
mo es:

Accede ad ignem hunc, iam califces plus satis.

T. Quis hic loquitur? hem, tun' eras mi Phædria?

Qui